10

AD EXCELLENTISSIMVM VIRVM

AVGVSTINVM THOMASIVM

AVERSANAE ECCLESIAE

PONTIFICEM RENVNTIATVM

SALVATORIS CALLOTTII I. C.

Regis Procuratori Substituti

CARMINA.





NEAPOLI

TYPIS SOCIETATIS PHILOMATICAE.

MDCCCXVIII.

EXCELLENTISSIMO DOMINO MARCHIONI

DONATO THOMASIO

REGI A CONSILIIS SANCTIORIBUS, etc. etc.

AUCTOR

Quum primum, Excellentissime Vir, Frater Tuus Augustinus, hujus Caeli Sidus alterum, Aversanae Ecclesiae Episcopus per FERDINANDUM *Regem nostrum P. F. A. renunciatus est; non potui equidem non animo summopere gaudere, miraque perfundi laetitia, cum mecum reputarem, quantus sub tanto Praesule futurus esset illius laudatissimae, ac vetustissimae Eccle-*

*

siae splendor, quanta gloria, quanta felicitas. Quo magis D. O. M. primum, ac deinde Sapientissimo Regi nostro gratiae habendae sunt immortales, quod maximo bonorum omnium plausu foedus cum Sanctissimo Domino nostro Pio VII. P. O. M. initum sit, reique Christianorum publicae, civilisque societatis bono apud nos consultum abunde. Qua in re cum omnes Tuam praecipue, et Collegae Tui Excell. Equitis Aloysii Medicei, pietatem, doctrinam, sedulitatemque merito sunt admirati, tum Regis optimi sapientiam laudibus omnes efferunt, qui eos Viros Episcopos designaverit, quos probitatis, ac sanctitatis fama jam apud omnes aequo jure commendasset. Eminet in his omnium judicio Augustinus, ad quem ut redeam, non potui prae gaudio me continere, quin gestientis animi sensus expromerem, et Aversanae Ecclesiae secuturam felicitatem hoc qualicumque carmine deformarem. Cum autem illud ad Fratrem tuum, Tibique conjunctissimum, maxime pertineat, patere, quaeso, ut Tuo inscriptum nomine in lucem prodeat. Quod si facies, ad tua innumerabilia in me unum merita, quod fieri jam non posse arbitrabar, maximus

hoc tuo facto cumulus accedet. Vale, Excellentissime Domine, mihique, quod jam facis, favere perge.

Dabam XI. *Kalendas Junii CIƆDCCCXVIII.*

CARMEN.

Ut Terras, Sedemque suam Guevara reliquit,
Sponsaque lugubres vestes induta per urbem,
Perque agros longas visa est iterare querelas,
Ipse Aversanae. Genius qui praesidet arci,
Dilectae gentis casum miseratus iniquum,
Quale solent Genii, et radiis fulgentibus ardens,
Mos ante ut fuit, aethereas volitare per oras,
Sed moestis oculis, et scissis vestibus ibat,
Sollicita lassans summi prece Numinis aures,
Urbis ut afflictae lapsis succurrere rebus
Annuat, et Viduae moestum relevare dolorem.
Ast ubi compositas turbas, sancitaque tandem
Foedera, Thommasioque audit de sanguine cretum
Adventare Virum, fama super aethera notum,
Moribus antiquis, et stirpis origine clarum,
Pontifici acceptum Summo, Regique probatum,
Spectatum pietate Virum, quo candida Virtus
Relligioque verenda suo laetatur alumno,
Et comi sanctam qui exornat pectore vitam,
Qui Cathedrae Praesul vacuas assumat habenas,

Et luctum levet, et lacrymas abstergat amaras;
Tum vero, illuvie posita, laetaque coruscans
Luce oculos, frontemque, Sacri super ardua Templi
Culmina conscendit pennis plaudentibus, atque
Laetitia exultans has fudit pectore voces:
Pone, o, pone modum longis, Aversa, querelis,
Terge oculos, tristemque animi depone dolorem.
Qui mare, qui Terras, qui Caelum Numine torquet,
Audiit en tandem tua fervida vota, precesque.
Augustinus adest. Proh! quantum est instar in illo!
Qui Vir! Qui Pastor! Non Hunc aut Innicus ille,
Praesule quo tantum gens Aversana superbit,
Non et Aragonio Regum de sanguine cretus
Fernandus doleant sibi successisse, suaeque
Suffectum Cathedrae. Egredere, o festina, Tuumque
Praecurrens Sponsum venientem amplectere Sponsa.
Sed mihi quae subito rutilis lux fulget ab astris?
Quisve Deus venturi aevi mihi discutit umbras?
Hac se Relligio mihi sistit, qualis Olympo,
Ipso olim mittente Deo, descendit ab alto,
Intemerata manus, vultum intemerata pudicum,
Simplicitate nitens, non ullo interlita fuco,
Divinum toto spirans de corpore Amorem.
Hinc atque hinc adsunt comites Pietasque, Fidesque,
Et Pudor, et Themis, et Virtutum exercitus omnis.
Illa Augustinum commonstrans indice clamat:

Iam mihi quod timeam, nihil est; hoc Auspice, si qua
Damna per insanos belli sum passa furores,
(Quamquam Malvasius trans aequora notus, et Alpes
Ingenio librisque suis, et Fulgur uterque
Obstiterint hostem contra, linguaque, manuque
Palladium Fidei servarint, et procul omnes
Errorum expulerint tenebras, fraudesque malignas)
At si passa aliquid sum damni, Marte furente,
Sarciet Hic, et res nostras pensabit abunde.
Cernite, quantus honos Templis accedit, et aris
Iam nunc, et quanto splendent mysteria cultu!
Vosque, o Progenies mea, vos Themis alma, Fidesque,
Et Pudor, et Pietas, in spes assurgite magnas,
Et mecum unanimes Pastori plaudite nostro.
Ecce alia de parte throno sublimis ab alto
Apparet gravitate simul spectandus, et ore
Ipse Augustinus: sacrum caput infula vestit
Intertexta auro: circumdat paenula latos
Picta humeros: medio Crux aurea pectore fulget,
Deliciae Crux usque suae: stant ordine circum
Presbyteri, turba rumpuntur Templa ruentum.
Ille Dei pacem primum, auxiliumque precatus,
Mox solvit vocem, pendentesque ore loquentis
Affatur cives. Deus Immortalis! ab alto
Pectore quanta fluit plenis Sapientia rivis!
Quam multas effundit opes de divite mente!

Quae vis verborum! quae dulcis gratia linguae!
Melle scatet totus, si quando pectora blandis
Sunt mulcenda modis: tonat ipsa fortius Ætna,
Fulminat, accendit, rumpit vel saxea corda,
In duros quoties animos, mentesque rebelles
Eloquio invehitur, vivisque coloribus iras
Iudicis aeterni pingit, dextramque coruscam.
Adspice, fulminea ut lingua perterritus error,
Atque ira, atque odium, atque auri ambitiosa cupido,
Et dolus, et fraudes, et fuco picta voluptas
In Stygias fugiunt tenebras, animosaque contra
Exsurgit Virtus, urbesque accendit, et agros
Hinc odio culpae, hinc vitae melioris amore.
Te quoque, cui placuit jamdudum hic figere sedem,
Et sanctos mores, artesque docere juventam,
Queis super Ausonias urbs haec caput extulit urbes,
Vrania, aspicio. Insolita Tu fervere flamma,
Et praeter gestire modum mihi tota videris.
Scillicet Antistes tantus Te Te excitat, atque
Acribus exacuit stimulis, animosque, novasque
Inspirat vires, et honorum praemia monstrat.
Ergo his auspiciis quid non studiosa juventus
Efficiet? quonam studiorum ardescet amore?
Iam quae praeteritos artes viguere per annos,
Perdere nec belli infesti potuere furores,
Splendidius fulgent: jam nostri rursus ab umbris
Iommelli, et Tozzi redeunt, cultique Prasicci.

Plaude Tibi, Superis Siren dilecta, quod alter
Thommasius dono Divûm Tibi missus ab alto
Rege minor tantum, ipsius sed provida Regis
Mens et Consilium, Sophiae quas fontibus hausit,
In te fundit opes, atque in Tua commoda confert
Omnes ingenii vires, mentisque labores,
Impiger, humanus, prudens, natusque beandis
Civibus, et dignus Fernando Rege Minister.
Hactenus Aversae (fateor) tam splendida fecit
Invidiam Fortuna meae, penitusque medullas
Exussit fulgore suo. Nunc Fratre beata
Illa satis, non invidia mordebitur ulla.
Haec fatus summo Genius de vertice Templi
Devolat, et circum Pastorem amplectitur alis,
Gratatusque inquit: scopulis jam vellitur Afris
Sanguine concha suo Tibi mox tinctura galerum.
Tu tanta dignam Fortuna suscipe mentem.

ODE

PRENDI Agostin del buon Gesù le leggi,
Che in core a te raddoppierà sua grazia,
Ed il cammin verso quel loco eleggi,
Ove felice inver sarà Campania:
Alza quivi la voce, e predicando,
Poni Virtù su'l Trono, e vizio in bando.

Santo è il tuo ministero: a Te si aspetta
Degni figli di Levi al Tabernacolo
Chiamar, dove il Divin Verbo ricetta,
In umil pane preziosa vittima;
A Te spiegar le carte, e le Divine
Del culto d'Israel vere dottrine.

Tu di salute balsamo soave
Consacrerai, che sulla fronte timida
Spargerai del fedel, che ancora pave
Confessarsi cristiano, e fatto intrepido
Nello spirto Divin, che lo rincora,
Cantica al Cielo innalzerà canora.

Tu il farmaco possente al moribondo
Apresterai, che se la vita fragile
Non è suo pro salvar, candido, e mondo
Quivi lo manda, ove ogni bene ha patria,
E tu de' Catecumeni il liquore
Farai, che olezza di celeste odore.

Tu, come madre, che d'uguale affetto
Calda pe' figli suoi, lo scarso pascolo
Sparte a ciascuno, proverai diletto
Nell'apprestar bramata mensa al povero;
Nel cingergli una veste, e di consiglio
Nel dargli ajuto con sereno ciglio.

Già ti vegg'io, qual vigile pastore
Indulgente, o severo in modi placidi,
Allontanar dal gregge tuo l'errore
Con incessanti alate cure, e tenere,
E la gemmata mano a benedire
Alzar ben mille volte, una a punire.

E già ti veggio all'orfanello il manto
Stender di tua pietà, sottrarlo all'odio
Del ricco usurpator, terger il pianto
Della sventura, e consolar la vedova;
E già ti veggio colla falce in mano
Mietere il loglio di scissure insano.

Già colla face della fede ardente,
Tu l'idra abbatti fosca, e spaventevole,
Che troppo ancor la battezzata gente
Fingendo inganna, e religion s'intitola.
L'empia i primi dover mentre fa muti,
Mostra in vece di lor false virtuti.